



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

S. Avgvstini Et S. Georg. Prioribus Cantuarien.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

ris falsis inserta reducitur infra plumbum. Quinta, cum literis bullatis & redidit aliquid in eis per rasuram tenuem immutatur. Eos etiam à crimine falsitatis non reputamus immunes qui contra constitutionem præmissam scienter literas nostras nisi de nostra vel bullatoris nostri manu recipiunt. Eos quoque qui accedentes ad bullas, falsas literas cautè projiciunt, ut de vera bulla cum aliis figillentur. Sed hæc duæ species falsitatis non possunt facile deprehendi, nisi vel in modo dictaminis, vel in forma scripturæ, vel qualitate chartæ falsitas cognoscatur. In ceteris autem diligens indagator falsitatem poterit diligentius intueri, vel in adjunctione filorum, vel in collatione bullæ, vel motione, vel obtusione, præsertim si bulla non sit æqualis, sed alicubi magis sit tumida, alibi magis depressa. Si verò quod contra ipsum I. vobis præcipimus neglexeritis adimplere, noveritis nos venerabili fratri nostro Vercellen. Episcopo præcipiendo mandasse ut ipse id auctoritate apostolica sublato appellationis obstaculo exequatur. Datum Spolet. II. Non. Septembris.

*DE FAVRESHAM,  
S. Augustini, & S. Georgij Prioribus,  
in Cantuarien. diocesi constitutis.*

*Epist. 350.  
Ne ad sedem  
apostolicam ri-  
te appellantes  
impediantur.*

**S**ic apostolica sedes inter fratres & coepiscopos nostros pastoralis dispensavit oneris gravitatem, sic eos in creditæ sibi sollicitudinis partem assumpsit, ut nihil sibi subtraheret de plenitudine potestatis, quò minus de singulis causis ecclesiasticis inquirere possit, & cum voluerit judicare, ad communem omnium utilitatem constituens, ut ad eam tanquam generalem omnium matrem & singulare fidelium Christi refugium appelletur, per quod & minorum tollatur oppressio, & superiorum præsumptio refrænetur. Cum itaque appellationibus, quæ ad sedem apo. interponuntur sæpius, velimus ab omnibus humiliter & devotè deferri, disc. vestræ per apostolica scripta mandamus & districte præcipimus quatenus ex parte nostra curetis fortius inhibere ne quis in Cantuarien. Ecclesiam & dilectos filios Priorem & monachos Cantuarien. post appellationem ad nos legitime interpositam excommunicationis, suspensionis, sive interdicti sententiam proferre præ-

sumat. Si quis verò contra præsumpserit, vel hæcenus fortè præsumpsit, sententiam ejus nullam esse penitus nunciatis. Si qui etiam possessiones eorum invaserint violenter, eos ad restitutionem earum per censuram ecclesiasticam appel. postposita compellatis. Nullis literis ob. veritate tacita &c. Quòd si omnes &c. Datum Spolet. IV. Nonas Septembris.

*S. AUGUSTINI ET S. GEORG.  
Prioribus Cantuarien.*

**D**ilecti filij Io. & Hubertus nuncij dilectorum filiorum Prioris & monachorum Ecclesiæ Cantuarien. nobis humiliter retulerunt quòd cum pro causa quæ inter dictos Priorem & monachos & venerabilem fratrem nostrum Cantuarien. Archiepiscopum super capella de Lamhee vertebatur, ab ipsis Priore ac monachis mitterentur, sicut eis propositum fuit, idem Archiepiscopus post iter arreptum in eos excommunicationis sententiam promulgavit. Cum autem plus sit ad sedem apostolicam factò provocare quàm verbo, & ipsis propter prædictam causam ad Romanam Ecclesiam venientibus, intelligatur ad sedem apostolicam provocatum; discretionem vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si verum est quod asseritur, dictos Io. & Hu. appellatione postposita denunciatis excommunicationis vinculo non teneri. Datum Perusij, III. Idus Septembris.

*ARIANEN. EPISCOPO.*

**A**ccedentes ad præsentiam nostram dilecti filij Georg. & Aug. monachi monasterij sancti Salvatoris de Telesia, quod ad Romanam Ecclesiam specialiter noscitur pertinere, dilectorum filiorum Conventus ipsius monasterij ac Prioris & Primicerij Beneventan. nobis literas præsentarunt: ex quarum continentia & illorum diligenti significatione nobis innotuit quòd cum prædictis Priori & Primicerio Beneventan. nostras literas misissemus ut P. tunc Abbati ipsius monasterij, quoniam ipsum minus providè gubernabat, de bonis ipsius facerent congruè provideri, & ibidem alium subrogari Abbatem qui præesse sciret fratribus & prodesse, provisò convenienter eidem P. post resignationem ipsius, ipso præsentem, ac suum

*Epist. 351.  
Ejusdem argu-  
menti.  
Cap. Dilecti f.  
lij. De appella-*

*Epist. 352.  
De electione  
& confirmatio-  
ne Abbatis Be-  
neventani.*